

PRÆFATIO.

*prior Γνωμολογικὴ, quæ dictis sententiosis præcepta & regu-
 las honeste vivendi, ligato vel soluto sermonis genere præ-
 scribit, cuiusmodi sunt Theognidis, Hesiodi, Pythagoræ,
 Phocylidis, Isocratis & similibus scripta; estque hæc rursus
 vel ἀποφαντικὴ, quæ sententias absolute & simpliciter, vel
 παραδειγματικὴ, quæ præcepta in forma adhortationis tradit. Al-
 tera Παραδειγματικὴ, quæ monitorum de virtutibus & vitiis
 exempla enarrat. Exemplorum autem tria sunt genera,
 quædam ficta, ut Apologi, qui virtutum & vitiorum ima-
 gines in brutis, plantis, aliisque rebus rationis & sermonis
 usu carentibus adumbrant, quæ species ethica μυθολογικὴ di-
 citur, eamque ob causam pueris proponitur, ut morum
 præcepta quasi cum ipso lacte imbibant, & ad ea, quæ na-
 turæ prave adversa sunt, suavitate quadam alliciantur:
 quædam verisimilia, quæ species ethica duplex est; aut
 enim narrationis formam habet, quæ est ποιητικὴ, ut opus
 Homeri, Virgilii, & Ovidii Metamorphosis &c. quanquam
 hi caractere mixto usi non solam ethicam, sed universam
 philosophiam monumentis suis complexi videantur; aut for-
 mam habet actionis, quo τραγωδία & κωμωδία spectant: quæ-
 dam denique vera, quorum expositio usitate ἰσορία appella-
 tur, cuius scopus versus ille Virgilii est: Discite justitiam
 moniti, & non temnere Divos. Atque hæc ipsa Metho-
 di Moralis multiplex ac jucundissima varietas, quæ animos
 reficit ac reparat, cum a nemine adhuc, quantum scio,
 in ordinem adducta, & ex instituto repræsentata fuerit,
 iussit nos, qui Morali Professioni in hac ipsa Academia
 XVI. annos vacavimus, via & arte procedere, huncque
 DE VARIIS MODIS MORALIA TRADENDI*